

Vocamur autem per Baptismum, & verbum prædicatum.

V S V S.

1. Quod Ecclesia comparatur vineæ, facit in nostram consolationem. Innuit enim Christus, D E U M delectari suâ Ecclesiâ, quemadmodum diligens pater familias suâ vineâ: quod & Psaltes exprimit. Siquidem sumus operarij, non perdamus tempus otio, sed stabiliamus electionem & vocationem nostram, & bonam militemus militiam.

ψ 68.

2. Pet: 1.

1. Tim: 1.

Porro quod Pater familias distinctis horis, usq; ad vesperam dicitur exiisse, ad conducendum operarios, &c. Monet nos D E U M ab initio mundi, non solum usq; ad nostra tempora sibi collegisse Ecclesiam, verum etiam omni tempore ad finem mundi usq; sibi eam collecturum.

*Vespera*, significat finem mundi:

*Dominus vineæ*, Deum ipsum:

*Procurator*, C H R I S T U M:

*Merces*, vitam æternam.

ψ 68.

Ioan: 5.

Vocatur autem merces, sc. gratuita:

1. Quia Dominus eam gratis promittit sedulo laborantibus, & à cursu pietatis non deficientibus.

1. Ti: 4.

Apoc: 2.

2. Quia est gratuita recompensatio bono-

bono-